



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput IV. De circumstantiis Actuum humanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

„à latere, dicendo sine mutatione vultûs: ô bo-
 „ne! video quòd similiter fecisti cum talibus,
 „& talibus &c. „

Fœminis similiter faciendæ sunt interroga-
 tiones, priùs de cohabitatione mutua secum, hoc
 est, an habitent cum aliis puellis, num habitent
 cum personis alterius sexûs &c. conformiter ad
 suprâ dicta. Concludit laudatus Author: „ Ego
 „ coram Deo testor, me plures talibus remediis
 „ induxisse ad confessionem, qui fatebantur,
 „ numquam etiam in articulo mortis fuisse talia
 „ dicturos cuicumque: laudabant tamen Deum
 „ totis visceribus, gratias agentes, quòd ita se
 „ aperuerunt.

CAPUT IV.

De circumstantijs Actuum humanorum.

Actuum humanorum circumstantias apprimè
 noscat confessarius, quæ videlicet mutant
 speciem, quæ intra eandem speciem notabiliter
 aggravent, vel diminuunt. Hinc si pœnitens,
 cuius status non habetur cognitio, sua generali-
 ter exponat peccata, inquirat primò, an sit ux-
 oratus, an voto castitatis Deo adstrictus, &c. quan-
 tum furatus fuerit, ut juxta qualitatem morbi,
 congrua præscribat remedia, & juxta magnitu-
 dinem delicti, salutarès pœnitentias.

I. Quot sunt circumstantiæ actûs humani?

R. Principales sunt septem hoc versu compre-
 hensæ:

Quis, Quid, Ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quâda,

Cir-

Circumstantia *quis* designat qualitatem personæ agentis, V. G. quòd scortator sit voto castitatis, aut matrimonio obstrictus.

Quid, designat secundariam objecti conditionem, V. G. quòd res, quæ auferitur, sit sacra, aut magnæ quantitatis.

Ubi, denotat qualitatem loci, V. G. quòd homicidium fiat in templo.

Quibus auxiliis, significat qualitatem mediolorum, quæ ad agendum applicantur, V. G. quòd solutio maleficii procuretur ope dæmonis.

Cur, exprimit finem extrinsecum, quem sc. agens sibi proponit, V. G. quòd quis furetur ad fornicandum.

Quomodo, indicat accidentalem operis modum, V. G. *intensionem, voluntarieratem, libertatem, coactionem*, V. G. quòd stuprum fiat violentè.

Quando, significat tempus, vel temporis durationem, V. G. quòd quis persistat anno integro in affectu occidendi, affectu odii &c.

Aliæ sunt circumstantiæ mutantæ speciem, aliæ intrà eandem speciem notabiliter aggravantes.

1. Quæ circumstantiæ dicuntur mutare speciem?
2. Quæ actum transferunt ad aliam speciem peccati, ad quam non pertineret, si tales circumstantiæ abessent: ut si copula habeatur cum uxore aliena; tum enim circumstantia *persona*, cum qua habetur copula, facit actum per-

pertinere ad adulterium, cum tamen alias non pertineret nisi ad simplicem fornicationem &c.

3. Quæ circumstantiæ aggravant, vel diminuunt actum intra eandem speciem?

℞. Quæ augent, vel diminuunt bonitatem, vel malitiam actûs, non transferendo eum ad aliam speciem: ut si quis furetur 100. imperiales; tunc peccatum est quidem gravius, quàm si unicus imperialis auferretur, sed semper remanet in specie furti.

4. Unde colligendum, quòd actus humanus transferatur, vel non transferatur ad aliam speciem propter circumstantiam sibi adjunctam?

℞. Tunc transfertur, quando circumstantia secum adfert honestatem, aut turpitudinem alterius rationis, facitque actum esse conformem, aut difformem speciali regulæ rectæ rationis, ac diversæ ab illa, cui actio secundum se foret aliàs conformis, aut difformis, aliàs non transfertur.

5. Quando nam circumstantiæ intra eandem speciem dicuntur notabiliter aggravare?

℞. Relinquendum id est prudentum iudicio. Communiter tamen assignatur hæc regula: *Circumstantia tunc notabiliter aggravat, quando per se ad peccati mortalis constitutionem sufficeret.* Sic supposito, quòd ad furtum mortale sufficeret ablatio medii imperialis, & aliquis integrum auferat, censebitur furtum virtualiter duplicare, & consequenter circumstantiam addere notabiliter aggravantem.

6. An

6. An circumstantiæ peccatorum sint exprimendæ in confessione?

R. 1. Circumstantiæ mutantes speciem debent necessariò exprimi in confessione. Trid. Sess. 14. c. 5.

R. 2. Etiam circumstantiæ notabiliter aggravantes, aut diminuentes malitiam intrà eandem speciem debent exprimi propter eandem rationem de circumstantiis speciem mutantibus in trid. adductam; quia aliàs Confessarius non potest perfectè judicare de causa pœnitentis, nec congruentem imponere pœnitentiam.

Exactam tamen aggravantium expositionem non semper exigo quoad actus carnales, quorum sordes anatomicè scrutari, easque memoriâ recoquere, suo sæpè novæ coinquinationis non caret periculo. Quare Confessarius, quod spectat ad carnis peccata, summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut cum peccati speciem, & graviores circumstantias audierit, à ceteris absteineat. S. Car. Borr. in Instructione Confess.

CASUS VIII.

Pœnitens circumstantias speciem mutantes, vel determinatum peccatorum numerum numquam expressit, ignorans similia exprimi debere. Queritur, an ad confessionum prateritarum iterationem sit adigendus?

R. Si ignorantia deprehendatur inculpabilis, ex hoc saltem capite repeti non debent; secus verò dicendum, si culpabiliter id ignoratum sit, & tunc,

& tunc, si nihil obstat, tutius est pœnitentem suaviter inducere ad repetendas confessiones præteritas. Existimo autem in praxi confessarium rarò moraliter certum esse, quòd talis ignorantia planè insuperabilis, & inculpabilis fuerit.

CAPUT V.

De Conscientia, ejusque divisionibus.

CONSCIENTIA sumpta, non pro memoria, seu recordatione ejus, quod à nobis benè, vel malè gestum est, sed pro judicio, quod circa aliquid agendum versatur, describitur: *Persuasio, seu existimatio, quo aliquid in particulari licitum, vel illicitum judicatur.*

1. Dividitur in *rectam, & erroneam*. Recta est, quæ, quod licet, licitum, quod non licet, illicitum arbitratur. Erronea à contrario est explicanda.

2. Dividitur in *dubiam, probabilem, & scrupulosam*.

Claritatis gratiâ placet materiam hanc Casibus perstringere.

CASUS IX.

PAULUS rem suam invincibiliter putat esse alienam, potèstne eam tutò retinere?

ix. Non potest, sed tenetur eam alteri tradere, retinendo enim, quantum in se est, consentiret in peccatum, paratusque esset illud admittere, quemadmodum, qui ex simili errore cibum innoxium veneno infectum putaret, tenetur à tali abstinere.

Si